

se cum corpore? Putatis etiam Angelos cum eò obiisse? Nescio aliter, quâ arte aut ingenio eludere possitis ista, quæ apud eum occurrunt de Angelis: Illud speciatim Gen. 32, 1.

Dicetis forsan, per Angelos intelligi debere bonos animi motus & affectus: Malos quidem affectus Pharisei ipsi vocant aliquando Dæmonia, יצר הרע שטן *Malus affectus est Satanas.*

At nec bonos affectus vocant Angelos, nec vos ipsi illud eò applicare potestis: *Angeli Dei obviam ei ierunt, & vocavit locum Mahanaim; id est, duo castra, vel duos exercitus.* Unum constantem ex multitudine propriæ familiæ, & vultisne vos alterum constituisse ex bonis affectibus?

Si concesserint Sadducæi, creatos unquam fuisse Angelos, (Mose in historiâ creationis id tacente,) conceperim ego, eos agnovisse Angelos eò sensu, quò & nos in totâ historiâ Pentateuchi, at concepissem, post completam historiam Pentateuchi in nihilum evanuisse; & post Mosen non fuisse vel Angelum vel Spiritum, vel Prophetiam.

Observamus alibi, vulgò distingvi apud Judæos inter *Angelos & Spiritus & Dæmonia.* Ubi per Spiritus intelligere est vel spectra mortuorum, vel Spiritus sub humanâ specie, at non adeò tremendâ & terribili ac Angelos. Et quid vel Angelo vel Spiritu opus amplius, inquiet Sadducæus, cum Deus ante obitum Mosis per ejus scripta totam suam voluntatem revelaverat, legem æternam dederat, & Ecclesiam completè constituerat?

Ignorantia innocens est atque inculpanda, nescire τὰ ἑδῆ καὶ σατανᾶ, & secreta Hæreticorum, & si in eruendis illorum dogmatibus erremus, forsan non parùm, parùm cedit in ignominiam. Veniale de iis errare, cum iis, mortale.

Ignosce igitur ignorantia nostræ, si fateamur, nescire nos penitus, quid intererat inter Sadducæum & Baithusæum, an convenirent in eodem, an dissentirent in aliquibus? De Baithusæis apud sacras paginas altum silentium, apud Judaicas mentio frequentissima, & videntur in quibusdam distingvi à Sadducæis, ast in quibus, obscurius.

Habes Sadducæos disputantes cum Phariseis, *Jadaim*, cap. 4. atque habes Baithusæos disputantes cum Phariseo, *Menachoth*, fol.

65. 1